53 -2346273

ENCOMIASTICA
RHETORICA ORATIO,

IN HONOREM, ET OBSEQUIUM MERITISSIMI SANCTISSIMÆ CHRISTIFERÆ SPONSI, OMNIUM DIGNISSIMI PATRIARCHARUM, SOLIS VIRGINEO SPLENDORE MICANTISSIMI,

DIVI JOSEPHI
CONFESSORIS,

HABITA IN PRIVATO HISPALENSI Lycæo, eidem Sanctissimo Patriarchæ sacro, à D. Emmanuele Trenado & Gallardo, ejusdem Lycæi politioris litteraturæ cultu Insigni Alumno: septimo idus Junii, Anno Domini MDCCXL,

AMPLISSIMO D. D. JOANNI DE BONILLA, Sanctæ, Supremæ, & Generalis Inquisitionis Qualificatori, & Sancti Ildephonsi Ecclesiæ meritissimo, ac proprio Beneficiario, ex animo, & pectore dicata.

HISPALI: Ex Typographia D. MICHAELIS GOMEZ, in vico Divi Pauli.

AD PERITISSIMVM, NOBILISSIMUM, OMNIGENISQUE REBUS LAUDATISSIMVM D. D.

JOANNEM DE BONILLA,

SANCTÆ SUPREMÆ, GENERALISQUE Inquisitionis Qualificatorem, ac Sancti Ildephonsi Ecclesiæ meritissimum, & Proprium Beneficiarium.

AMplissime, ac meritissime Mecœnas;

Cujus in electu pietas cum pace coivit:
Cuique tot assitunt famæ, & virtutis honores;
Nulla quot ætatum series numerare valebit.

CEleberrimum hunc morem, quo omnes, qui aliquas lucubrationes à se litteris mandatas, in publicam dedere lucem, unum, aut plures è præstantoribus viris eligere solent, quibus velut defensoribus Patronis, illas adscribant, ac dèdicent, nos cùm essemus sectaturi, Ausonii

vestigiis in hujusmodi re ità nos monentis insistere debemus: *Elige ad tui voluminis protectionem Virum nobilem, benignum, munificum, qui sciat adversus detractores aciem dirigere potestatis.* Cùmque huc, atque illuc multum, diuque circumspiceremus, cui Viro similibus exornato dotibus hoc opusculum (de castissimo, meritissimo Christiferæque per amanti Sponso, Divo Joseph Confessore) certissimè dicare possemus, Nemo, Splendidissime Domine, te nobis, cùm dignior, tum aptior ocurrit. Tria sunt, clarissime Mecœnas, quæ hominem à mortalitatis contagio prorsus videntur secernere, & penè immortalem efficiunt: *Virtus, Nobilitas, & Sapientia.* Satis igitur inter omnes constat, quàm plurima virtutum, nobilitatis, & sapientiæ ornamenta in te vehementer splendescant. Quà propter dignus es, ut laudibus eximiis efferaris. Jure quidem in nos negligentiæ culpàm trasferendam putaremus, si tuarum virtutum laudes in oblivionis visceribus, ac venis sepeliremus, quàmvis singularis tua modestia à tuis encomiis, ut ea hic minimè attingamus, magnò perè deterreat. Sed hujusmodi in re communem sectari morem necessarium videtur.

Omnium per aures, & ora res est pervagata, quàm magnanimus, benignus, liberalis, munificus, clemens existas: Miseris opem fers, pauperes suble-

ſublevas, inconſtanti fortunæ plectro pulſatos, & auxilio humano deſtitutos favendo conſolaris. In tuos clientes plurima quotidie confers beneficia, & tandem omnia virtutum genera ad praxim reducis. Te enim virtus ornat, ſapientia illuſtrat, prudentia dirigit. Quocirca per comitatem fas nobis ſic dicere: *Vir inter Optimos nobiliſsimus, inter nobiliſsimos Optimus.* Quem enim meliorem, perhumanum, ac nobiliorem Mecœnatem elegiſſe valebamus? Quem potuis, cui Deiparæ Sponſi encomia jucundiora eſſent, quàm tibi, qui (ut in ore omnium verſatur) à teneris annis præcipua religione eum maximòperè coluſti? Quis ergo ſtudioſiùs, imò quis potentiùs hoc noſtrum opuſculum defendat? Tu enim (ut jam prædiximus) claræ nobilitatis ſcuto, potentiæ galea, prudentiæque, & ſcientiæ enſe, velut armatura fortium adtutandam hanc panegyrim indutus, à Zoilorum invidia, oblatrantiumque morſibus vindicabis, quò ſecurior ſub tuæ protectionis umbra prodeat, & luce fruatur fauſta.

His cauſis ad panegyricam orationem tibi conſecrandam nos moventibus, ſuperadditur nova potentior, & honeſta magis, *devincti animi gratitudo,* quæ (ut vulgaris paræmia) omnium eſt virtutum Mater. Cùm enim ſuperioribus annis, & , ut potiùs dicamus, ab initio, quo præcelebre hoc lycæum

tam

tam egregios suo Patrono cultus adhibendos instituit, tua cum præsentia, maximoque honore fuisti nos semper prosequutus, cùm hac re, tum maximè præcipua, quam erga Divum Joseph profiteris, devotione adductus. Quàpropter tuam ad protectionem confugere decrevimus, ut hæc panegyris sine cunctatione, ullaque dubitatione typis mandari posset.

Ut ergo tanto satisfaciamus debito, panegyrimque nostram tanto muniamus Patrocinio, perhumaniter accipias id exiguum munusculum, sed non exigua voluntate donatum, precamur, & obsecramus, nobilissime Domine, tibique jam debitum consecramus, quodque multiplicis à te in nos collati beneficii Mnemosynon perpetuum esse desideramus, & nostræ erga te gratitudinis notam sempiternam esse volumus. Vale inclytissime Mecœnas, utinamque tibi vita supersit, Nestorisque annos felicibus auspiciis ineas, candidoque lapillo numeres, dum interim ex sociis quidam nostris, tuum in encomium sequentia depromit.

O mihi si lumen prisci Nasonis adesset,
Ut possem meritis digna referre tuis!
Si mihi, Mecœnas, cui nomen virga Poetæ,
Præbuit, ut metro dicere plura tibi!
Tu sapiens, tu rectus ades, tu ritè modestus,
Justitiam sequeris; comis in orbe places,

Maxi-

Maxima, & miti probitate flores,
Candidæ vitæ meritis replere,
Litteris cunctis nimium referte,
Domne Joannes.
Sint tibi laudes, venerande Doctor;
Quem labor solers, studiique cura,
Multa quæsivit, meruitque dona,
Docte Bonilla.
Laudibus summis igitur fruare,
Gratiæ magnis cumulere donis,
Ornet & tandem Deus emicanti
Tempora serto.

Ex tuis minimi, & in perpetuum clientes;

D. Thomàs de Agredano. *D. Petrus de Esqueda;*
D. Joseph Gabriel Zamora. *D. Joannes Mexia,*

BONA EST TIMIDITAS, QUÆ DETERRET à turpibus, & reddit hominem circumſpectum. *Eraſm.*

NUmquàm mihi, quàm impræſentiarum, Optimates venerandi, omnigenâ Virtutis, Sapientiæ, & Nobilitatis varietate, perilluſtres Patroni, quorum magnifica protectione hujus Muſæi Adoleſcentes,ſuo Tutelari, & debitos, & annuos cultus, officioſiſsimè offerunt; Sapientiſsimi Patres Magiſtri, qui ob egregias veſtri animi dotes, maxima veſtræ Religionis munera ſuſtinere meruiſtis, ut nunc denuò ſuſtinetis; Clavigeri ætherei nobiliſsimi Filii, omnium ſcientiarum, ac virtutum florentiſsimum Viridarium, nitidiſsimumque Speculum; Graviſsime iſtius Lycæi Scholaſtice Congreſſus, quem ob admirabilem veſtri ingenii indolem Dea garrula clamitat, Latinæque Linguæ Studioſorum univerſæ Academiæ admirantur; et Vos, ampliſsimi Auditores, pulcherrimum Sophiæ paradigma; Omnium denique adſtantùm humaniſsima Corona: Nunquàm mihi, ajebam, quàm impræſentiarum, eſſet optabilior illa aurei Oris facundia Chriſoſtomi, ſingulare Doctoris Angelici acumen, clariſsimi, ac melliflui Bernardi Sapientia, ut rem nimis arduam, quam fui aggreſus, & opus penitus difficile, quod faciliter arripui, poſſem quàm optimè executioni mandare, cùm apud hoc celeberrimum, Sapientiſsimum, venerandum, ac timendum Theatrum, cui obſequi neceſſe eſt, verba facere (licèt pingui Minerva) hoc in Veſpere ſim coactus. Intento enim animo mihi perpendenti, quonam potiſsimùm pacto, hac Panegyrica in Oratione, quacum præcelebre hoc Gymnaſium ſingulis eſt ſolitum annis, ejus Patronum, Sanctiſsimum Patriarcham Joſeph proſequi celebratione, denuò, ac ritè declamater, Romanæ eloquentiæ Princeps in mentem venit: cujus lepidictum (in arte oratoria cap. 10.) ſequentia continet verba. *Mihi, qui optimè dicunt, quique id facillimè ac ornatiſsimè facere poſsint; niſi timidè ad dicendum accedunt, & in exordianda oratione perturbantur, penè imprudentes videntur.*

Unde ſine ulla colligitur dubitatione, quòd politioris litteraturæ cultu qui eſt inſignis, hujuſmodi notam vitaturus, certè hunc timorem (ſunt enim affectati, veri què timores) ſimulare debet; ſed ego ſicuti imprudentiæ non expers timorem in me eſſe verum fateri non recuſo. Duplex tamen eſt ratio, animum quæ meum à minori cura ad ſummum metum traducit, ex nominibus, quæ

quæ huic timori oratorio solent adaptari, deducta. Prima, *ob operis magnitudinem: ob dignitatem amplissimam Auditorum*, secunda: ità eruditus in suo viridario Mendoza: *Oratorium, & timorem istum, quem appelant modestiam, seu reverentiam, ob operis magnitudinem, & dignitatem amplissimam Auditorum.*

Hæc omnia sedula devolvens cogitatione, nostræ panegyris thema (bona est timiditas, &c.) in memoriam revocare, summò pereque, quod indicat amplecti, compellor, ut facta, dictaque circumspicere diligenter possim. Quâ igitur ratione eum, qui meo incesserat animo, timorem, ex aliqua saltem parte levare valerem; sæpissimè recolenti, in mentem mihi incidit Virgiliana Musa (lib. 4. Eneid. num. 86.) hos versus dulcisona voce decantans.

Vade, age, nate, voca Zephiros, & labere pennis : : : : :
: : : : : Ille Patris Magni parere parabat
Imperio.

Quorum ex litterali sensu ad veram, genuinamque expositionem redacto, hæc tam omnibus efficacia, quàm mihi salutifera verba præclarè cum doctissimo Servio hauriri poterunt: *Verè ovediens graviora pericula tutus ingreditur, animique robur sibi induit.* O ovedientia fœlicitatis Mater! Quid ardui non superat tua robusta virtus? O virtus, in qua omnis fœlicitatis cumulus glomeratur! Quid amplius de te prædicem? Dicere proculdubio cum Donato valemus, *Vir ovediens instar Dei est*: &, juxta Sacram paginam, *victorias loquetur.*

Sed quàmvis hoc ità se habeat, meaque mens, omnigeno timore jam procul depulso, quantum suo possit adæquare conceptui, placidè invenerit; nihil tamen mea balbutiens lingua super tanto sublimique argumento garrulitati incumbere valebit; meoque ex ore verba, quibus panegyris dignè perficiatur, exire nequibunt. Nisi verò me Regii Vatis animasset, ac firmasset authoritas, qui Suprema Divinæ Majestatis præconia, in ore infantium, & lactentium procusa, & ad omnium Nationum, ac Gentium aures jactata esse testatur; non dubito, quin de Optimo, Maximo, & præcellenti Sanctitate conspicuo, Divo Josepho Confessore, Patriarcharum dignissimo, præ omnibus Sanctis ditiore, meritissimo Sanctissimæ Christiferæ Sponso, hujus celeberrimi Athenæi amantissimo Patrono non solum vox dicere aggredientem, verùm etiam vel ipsa mens aliquid prius cogitare conantem repentè, dificeret.

His de more prælibatis, cæterisque probrevitate omisis, ab illis rebus, quæ de fœlicissimis nostri præclari Patroni Sanctimoniæ, ac puritatis auspiciis vaticinantur, mei navicula intellectus initium faciendum operæpretium duxit. Et, ut inoffenso pede cursus peragatur, divinum invocare Auxilium, supplicique corde cœleste impetrare Juvamen, nos docent jura. Quod sequentibus

Epo-

Epodis meam ingeniolum enixè petere voluit.
Omnipotens Pater, & Rector Cœlestis Olympi,
Summe Deus, vindex hominum, rerumque Creator,
Qui Cœlum, & terras immenso numine comples:
Optima, & æterni Soboles æterna Parentis,
Verus homo, verus pariter Deus, unus, utrúmque,
Quem vates veterum, & Sancti cecinere Prophetæ;
Ardor, & amborum communis Spiritus almè,
Æterna, alma, beata Trias, veneràbile Numen,
Auxilium vestro posco nunc Numine fretus.
Immaculata Parens, Virgo Veneranda Maria,
Quæ superans omnes servasti Virginitatem,
Cœlorum Regina, & magni Sponsa Tonantis,
O, faveas, Clemens, nostrisque laboribus adsis.
Tuque etiam, Celebris Joseph, & Sancte Patrone,
Intemerate Parens, David generosa Propago,
Justitiæ Cultor, Claris venerande Prophetis,
Virgineo Splendore micans, Custosque Mariæ,
Nutritor fœlix, & Christi fide Minister,
Cujus in auxilio Confidens inchoo semper,
Huc adsis, Joseph gaudens, pia voti fecunda;
Ut mihi deserto sis semper dulce Levamen:
Dumque tuæ laudis magnalia dicere tento,
Ipse viam pandes magno mihi lumine tutam
Ut tua sic possim præconia dicere magna.

Inclyta Patroni nostri encomia venustà panegyri exornaturus, vestri què desiderio, amplissimi Auditores, juxta mei ingenioli tenuitatem satisfacere cupiens, vos iterum atque iterum rogatos volo, ut aurem, & auram benignissimæ voluntatis mihi præbere, & æquitate vestra supplere haud dedignemini, quod ætati, mentique meæ deesse non invitus agnosco.

Ad tuas ergo Aras, Joseph Sanctissime, devolutus advenio, non tam rem, quam rei votum offerendo: parva sunt, quæ offero; Magnus, cui illa consecro: minimus, vel nihil, qui dedicat; Maximus, cui ea consecrantur: si Celsitudinem tuam profunda meditatione contemplor, maximo teneor stupore; meam si exilitatem atentà meditor consideratione, in nihilum penè redigor; atque adeò desideria voveo, quæ donaria omnia superant, & excedunt anathemata. Auram popularem non ambio, sed exambio tuam, ò Joseph mortalium omnium fœlicissime, & inter mortales Proceres gloriosissime Patriarcha; sed unde exordium sumam, ut tua excelsa præconia laudem, prædicem virtutes, extollam merita, efferam sanctimoniam? Ut theologorum Doctor, Exorator eximius, Divus Gregorius Nazianzenus, ut Sororis suæ Gorgoniæ Virum laude

 affi-

afficeret, & laudabilem ostenderet, in medio suæ orationis cursu subsistens, in hæc verba prorupit: *Vultis uno verbo virum describam?* Vir erat illius (scilicet Gorgoniæ) necenim scio, quid amplius dicere necesse sit. Potiori jure dicam ego: vultis scire, humanissimi Auditores, quantâ puritate, prudentiâ, pietate, modestiâ, Sanctitate, meritis, dotibus tam corporis, quàm animæ (venustus enim facie, moribus venustior, Sanctitate venustissimus, decore totius corporis eximio prædítus, voce humanissima, egregio oculorum nitore, omnes eum conspicientes, occultâ quadam vi, ad suum, suique Creatoris amorem magnificè pertrahebat) potentissimus Tutelaris noster insignitus, exornatusque sit? Duobus verbis Virum describam: *Virum Mariæ.* Matth. 1. *Joseph autem vir ejus.* Vir erat illius, nempè Dei Matris, quæ teste Divo Bonaventura, universas fœminas carnis pulchritudine vincit; Angelos, & Archangelos Sanctitatis, & perfectionis extrinsicæ ministerialis excellentia superat. Vir erat illius, qua nihil in terris, nec in cœlis majus, aut excellentius creari, aut excogitari potest; ideò scitè, & piè dixit idem Seraphicus Doctor: *Majorem Mundum potest facere Deus, majus Cælum potest facere Deus, majorem Matrem, quàm Matrem Dei non potest facere Deus.* Quæ igitur esset Josephi Sanctitatas hujusmodi Sponsæ semper consortio aucta! Mea balbutiens lingua, etiam si Angelica esset, evolvere nunquàm posset.

Eximiam Josephi Sanctitatem brevi in sententia nobis ostendere Sacrum Evangelium voluit, ac inparticulari de ejus virtutibus mentionem non faciens, eum in communi *Justum appellavit*: *Joseph autem cum esset justus*: cujus verba illud Os aureum, Sanctus Joanes Chrisostomus, inquam, eloquentiâ sacrâ summus, virtutum gloria excellens, clarissimum Ecclesiæ Lumen, diligentissimè expendens, ob nostræ mentis oculos sequentia proponit: *Sciendum, quòd justum hic virtuosum in omnibus dicit*: & alio in loco: *Justum* appellat Joseph Evangelista; *tamquam in omnibus præclarum, & omnigenis virtutibus insignitum.* Erat quippè valde in omni virtutum genere mirabilis: prosequitur itaque Chrisostomus: *Justum in omni virtute dicit esse perfectum.* Est enim justitia generalis, quæ ex cunctis perficitur: Et Ecclesiæ Sol, fidei Vindex, Pelagii Terror, Decus immortale Tagastæ, eximius Hypponis Præsul, divinus Augustinus, à Pise citatus, ita ait: *Justitia ad omnes partes animæ pertinet*; quia ipsa est ordo, & animæ æquitas. Et Tiro Maximus; *Justitia rectè vocatur Mater, & nutrix cæterarum virtutum.* Ipsemet Christus, Æterni Sapientia Patris, omnem significaturus Sanctitatem, hoc idem Justitiæ nomine indicavit, dum coram Baptistæ verba faciens, tales dedit ore loquelas: *Sic enim decet nos implere* (Matth. cap. 5.) *omnem justitiam.* Cujus verba Sanctissimo nostro Patrono propissimè adaptari possunt. Quia, cùm Evangelista *justum* eum appellet, omnem

justi-

justitiam implere necessarium videtur. Quanto ergo perfectionis cumulo fruetur, qui justitia, quæ rectè Mater, cæterarumque nutrix virtutum vocatur, maxima fuit semper prædictus?

Evangelistæ igitur affirmationi nobis credentibus, Castissimum nostrum Patriarcham eximium esse justitiæ cultorem, atque cum illo (ut ait Sanctus Bernardus) omnem significari justitiam, *justitia per Joseph Justum significatur*, egregia ejus sanctitas, suarumque præstantissimarum virtutum plenissima congeries inuno patefiunt verbo: ita Origines: *Justus in verbo, justus in facto, justus in judicio gratiæ*. Sed quibus non esset virtutibus exornatus, qui semper promerens, in illisque progressum faciens indesinenter erat? Qui semper crescebat, profectum semper habebat: ità Lauretus: *Crescit anima quum proficit in virtutibus*. Joseph ergò cum filius interpretetur accrescens, crescere (piè credi potest) nunquam désivit, suum & ità augmentum terminatione vacavit.

Hanc Josephi excellentissimam Sanctitatem, ille scientissimus Philosophorum, ac Theologorum Coriphæus, Doctor Angelicus, dissertissimè comprovavit, sequentibus indicans verbis: *Quantò aliquid magis appropinquat principio inquolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii*. (q. 27. art. 5.) Subjicit itaque exempli causa Pneumate Sacro Matrem obumbratam, quæ, quia Deo Sanctitatis Principio nemine magis appropinquavit, omnes Adami natos sanctitate superavit. Joseph ergò si huic divino Principio ratione Patris maximopere appropinquavit, quem Sanctitatis, ac perfectionis gradum non erat acquisiturus?

Simeonem semel insuas accepisse ulnas puerum Jesum, Sacri Evangelii textus nobis indicat: *Accepit eum in ulnas suas*. Simeonisque elogia inpromptu Evangelista habet, ejusdem Evangelii verbis ità prædicans: *Justus, & timoratus, & Spiritus Sanctus erat in eo*. Quæ esset Josephi Sanctitas, aut quæ Sancti Spiritus plenitudo in sua ei esset anima, qui non semel, sed sæpissimè Jesum majore amore, majore fide, ac majore, quàm ut patefiebat, intelligentia, in suas accepit ulnas? Quod Sanctus Bernardus magna admiratione affectus, intentissimè sic expendit: *Cuidatum est, non solum videre, & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculare, nutrire, & custodire.*

Nos itaque pia credulitate credere debemus, Joseph non solum Sanctum, & Sanctissimum, verùm etiam omnibus Angelis, Beatis, & hominibus sanctiorem fuisse Sanctitate, & perfectione extrinseca ministeriali: ità Ildephonsus de Silva: Sanctorum, qui in cœlesti collocantur sphæra, post Deum, ac Deiparam, Joseph (fas ità dici) omnium maximus esse videtur. Si mente ad Cœlestem Arcem ascendere volumus, nostrum Patriarcham supremis spiritibus fæliciorem inveniemus. Nam Angelos Deus custodes hominum facit,

xit, Archangelis Principes, Regesque committit: & sic de aliis aliger is Potestatibus. Et neminem supremorum Spirituum sui Filii custodem in terra fecit. O excellentia excellentiarum! Quibus laudibus te efferam nescio? Quænam lingua, ut jam diximus, etiam si Angelica sit, potest te extollere laudibus, ò Joseph! Mihi, ut propositum executioni mandem, de nostri integerrimi Tutelaris puritate acturo, ornatissimi Auditores, avidis imbuere auribus hæc encomia ejus castitatem summopere exprimentia debere videmini. Quòd ejus puritas Angelorum præstet puritati, ex Evangelica colligitur narratione. Ingreditur Gabriel in nomine Domini ad Mariam salutandam, & inquit Lucas (cap. 1. 19.) *Turbata est in sermone ejus.* Cur ergò turbatione afficitur? Sanctus Hieronymus (Epist. ad Lætam) sic nobis responsionem reddit: *Quia virum, quem non solebat, aspexit.* Angelum esse sciebat, sed illum sub viri specie inspexit, & ideò turbatur. Cur ergo, cùm sit Josepho desponsata viro, in conspectu Angeli in forma viri est turbatio, cùm in Josephi conspectu turbatione non capiatur? Quia angelus humana est vestitus natura; sicque etiam Angeli huic purissimæ Reginæ, quæ contabulationem cum Sanctissimo Joseph minimè recusat, quando humana vestiuntur natura, turbationem afferant, nam illum Angelis esse puriorem (ut jam prædiximus) clarissimè cognoscit. Isidorus Isolanus (1. part. cap. 13.) *amplius dixerim, Josephi Virginitatem fuisse nobiliorem, gloriosiorem, & mirabiliorem, quàm fuerit (liceat ita fari) Angelorum virginitas.*

Idcircò potentissima Cœlicolùm Regina vocem hanc emisit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quasi diceret, in Josepho (fas ità loqui) virum non cognosco, sed amplius Angelum in virginea puritate; non vir nec homo est mihi, nam dum esset Angelis purior, in Mariæ Conspectu, magnopere excrescebat puritate. Ita Sanctus Ambrosius (lib. de instit. Virginit. cap. 1.) *Tanta erat Mariæ gratia, ut non solùm in se virginitatem servaret; verùm etiam siquos inviseret, integritatis insigne conferret.* Hoc idem in se ipso Castissimus Patriarcha ipsius augmento puritatis Supernæ in conspectu Dominæ cognovit. Et ità non homo sed plus quam homo fuit puritate Sacratissimæ Mariæ Virginis consortio semper aucta. Quid mirum? Cum fuisset Joseph (sicut pia credulitate credi potest) suæ Sponsæ omnium simillimus puritate, & cæteris omnibus virtutibus. Qualis erit homo (dum modò sit bono decoratus intellectu, inquit Bernardi dulcedo, *Serm. de S. Joseph*) qui tam magnam, quam in se habent Sponsus, & Sponsa, unionem non miretur, quòd numero contradicente, atque litigante, duo ipsi unus apparent. Et cùm spiritus almus, Patris, & Nati mutuus Ardor, inter Josephum, & Mariam talis fuisset factor unionis, quisnon atentà perpendet consideratione, quòd ambo futuri essent assimi-

les

les puritate, & omnigenarum operatione virtutum. Maria Virgo
fuit puritatis Exemplar; Castitatis Joseph Speculum: Maria fuit hu-
milior omnibus Sanctis, Josephus humilitate profundissimus: Ma-
ria altissima contemplatione; altissimus, & contemplatione Jose-
phus: Mariā Angelus plenam gratiā acclamat, plenum & gratia
Josephum vulgant Sancti. *Beatissima Virgo Deipara* (inquit Div.
Thom. opusc. 8.) *Angelos excessit in tribus, in quibus Angeli exce-
debant alios homines, scilicet, in puritate, familiaritate Dei, & in
plenitudine gratiæ.* Nunc hic: simili privilegio suum Putativum
Patrem, sicut suam Sanctissimam Matrem (pia credulitate creden-
dum est, quamvis non omnino similiter) Æterni Sapientia Patris
decoravit. O privilegium privilegiorum! O lucidissimum puritatis
Speculum! O castissime, & colendissime Joseph! Summa tuorum
privilegiorum, Sanctissime Parens, fidem mentis excessit.

Omnia denique solerti mente agitanti, gratissimi Auditores,
subiit mihi præcipua quædam Divi Josephi excellentia, quæ ejus
sanctitatem præ cæteris rebus significare videtur. In ejus virgula,
teste Bethlemitico Doctore, *de ortu Virginis*, cum de amborum
nuptiis in templo hyerosolimitano ageretur, Ramus effloruit, & in
hujus cacumine Spiritus Sanctus Columbæ specie benignissimè sedit,
ut singulare tanti connubii Signum. Hinc pia, ingeniosaque perce-
pit devotio, florem illum esse Filium Dei, quem sine viro Virgo
Maria, Spiritu Sancto obumbrata, concepit, cujus opera, uxore
intacta, ejusdem Filii Dei, Castissimus Joseph, & Pater dictus, &
creditus sit. Qua excellentia nulla major de nostro celeberrimo,
colendissimo, peramantique Patrono excogitari potest. Ea namque
sola prærogativa (juxta doctissimi Lusitani Engelgrave sententiam)
*tantum gratiarum, meritorum, Sanctitatis, & dignitatis est consequu-
tus, ut omnia omnium Sanctorum merita (Virgine Virginum excepta)
vehementer transcendere videatur.*

Cedant igitur tuæ Eminentiæ Angeli, Archangeli, Virtutes,
Potestates, Principatus, Dominationes, Troni, Cherubim, atque
Seraphim, tu enim illos, sicut Rex tuos subditos, superas nobilitate,
excedis Sanctitate, & perfectione extrinseca ministeriali; ac summa
præ omnibus integritate florescis. Quid amplius de te prædicem?
Magnalia tuorum meritorum (ut jam commemoravimus) fidem men-
tis excessit. Quam obrem, ô Ecclesiæ Catholicæ Decus, Davidicæ
Domus Honos, & Ornamentum, Rosæ Jericò Purpura fulgentissi-
ma, totius Mundi Columen, vitæ nostræ certissima Spes, terrarum
orbis Deliciæ, lucidissimum puritatis Speculum, mirificum Sancti-
tatis Compendium, Jesu, & Mariæ Cœli stelliferi meritissime Ornatus,
te veneratione afficimus, perardentique amore colimus, &c., ut
cumque possumus, laude prosequi conamur. O Beatissime Joseph,
quis tibi dignè valeat jura gratiarum, laudumque præconia repen-
dere,

dere; qui singulari tua custodia Mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ tua interventione recuperando aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, cum vota nostra susceperis. Nostras preces intra tuæ Sacrarium exauditionis admitte, & reconciliationis antidotum nobis reporta. Sit per te excusabile, quod per te inferimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Singularia sunt tua merita, benignitas magna, prompta Facilitas, Patrocinium majus, Potestas maxima: excipiant, obsecro, merita cultum, amori faveat Benignitas, facilitas parcat audaciæ, Patrocinium nostræ sufficiat tenuitati, regia Potestas nobis consulat. In hoc cultu, amore, & laudatione (agnosco, & fateor) meum est, quod minimè potui, tuum est, quod maximè voluiones ergo maximi te faciant, tuoque potentissimo præsidio utantur, & cunctum denique præsens encomium tollat fama per orbem; meumque ingeniolum huic panegyri finem imponens, hispanis vocibus depromere sequentia duxit, vocum, & nervorum dulcisonos concentus ità imitando:

O Tu Sagrado Esposo de Maria,
De el Divino Jesvs Padre adoptivo;
En cuyos dos renombres se gloria
De tus altos encomios lo expresivo;
Resplandesca tu gran Soberania
De los Cielos, y tierra en lo extensivo;
Donde à tu gloria ponga el fundamento
Tu mismo nombre, que es el mismo augmento.

DE el tosco labio la eloquencia ruda
No es para tus elogios suficiente;
Pues solo el Pecho fiel, con lengua muda;
Para tan grande assumpto es eloquente:
Hoi nuestro afecto ardiente te saluda
Con obsequio devoto, y reverente;
Halle en tu aceptacion su mayor gloria;
Y logre en digno acuerdo tu memoria.

DIXI.

O. S. C. S. R. E.